



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethicæ Doctrinæ Elementa, Et Enarratio Libri quinti
Ethicorum**

Melanchthon, Philipp

Witebergæ, 1583

VD16 ZV 20638

Secvnda Qvæstio. De quibus rebus iurare liceat.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56560](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56560)

SECUNDA QVÆSTIO.

De quibus rebus iurare liceat.

Respondeo: *Vsitata & vera regula est. Iuramentum nequaquam sit vinculum iniquitatis. Id est, nemo promittat se facturum esse opus lege divina prohibitum, & nequaquam faciat tale opus contra Dei prohibitum, etiam cum promisit: Peccatum promittens, & adderet peccatum peccato si faceret, ideo nequaquam faciendum est, ut Hypolytus cum iuravit Phædrus se facturum esse, illa postea petente incestam consuetudinem, rectè dixit, se non obligari iuramento & nota sunt eius verba:*

Lingua iuravi, mentem iniuratum gero.

Hæc regula valet in omnibus iuramentis, que non possunt sine peccato præstari, id est, ubi iuramenti observatio ita præbet causam peccati, ut remoto eo vinculo, id peccatum non fieret, ut in voto cælibatus, & votis Monasticis. Talia iuramenta, quæ sine peccatis præstari non possunt, sunt illicita, & indicantur esse irrita. Nam Deus invocandus est, ut sit testis & adiutor rei honestæ, non prohibitæ.

DE IVRAMENTO

quod metu coacti faci-

mus.

Si quis iurat hosti aut latroni, ut vitam redi-

mat